



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

Nativitas Jesu Christi. 25. Decemb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

# NATIVITAS JESU CHRISTI.

25. Decemb.

*Peperit filium suum primogenitum,  
& pannis eum involuit & reclina-  
vit eum in praesepe: quia non  
erat ei locus in diversorio.*

Luc. cap. 2.

**E**uge Nox omni die candidior! Vides,  
quæ nullus dies vidit. Surgit, ecce, non  
abundis, sed stipulis Sol meus. Superi! tam  
propè junctam Soli quis unquam Lunam  
conspexit? viden ut è filii vultu lætiores ra-  
dios mutuetur maternus oculus? Cæcus  
sum, nisi in hac nocte amorem Dei mei video:  
video, video in hoc speculo ruborem meum.  
Stabulum, stipulæ panni arguunt: Boreas  
frigus pectoris accusat: Bos asinusque ingra-  
tum clamat: loquaces puelli lacrimæ & è par-  
vo pectore magni gemitus damnant. An sisto  
igitur me reum? at iratum metuo. At infans  
est: risu placatur, negant manus tam parvæ  
fulmen ferre si ferre velint, fasciæ vetabunt;  
Mater

**U** Mater non feret. Et nunquid non pacem An-  
 geli nuntiant; Quid? quòd blando insuper  
 risu puer dulcissimus invitat, obvius etiam i-  
 turus, si pedes ferrent. Certè in amplexus  
 brachiola offert. In tam amica vincula non  
 curiam? Imò pedibus plumbum denique  
 demo. Ite, omnia puero vos membra subster-  
 nite. Fœnum etiam vos estis. I; culcitra lin-  
 gua esto, aptior Verbo non potest esse. Et tu  
 corpulvillum præbe, tactu mollesces. Vos  
 quoque ite suspiria, & argentem fovete. Eja  
 brachia in fascias; in balnea oculi abire. De-  
 nique ignoscite, qui aëra & rusticos mulcetis,  
 filete Angeli. Præ omnibus modulis vestris  
 vox optima, vox vagientis placet.

MEDITATIO.

*De Nativitate Christi.*

**I.** **P**aupertas Christi, quæ elucet hoc in mysterio,  
 divitiarum contemptum cuique ingenerare de-  
 bet. Jesus intempestâ nocte, & durissimo anni tempo-  
 re ab omnibus derelictus, nec tectum, nec igne habet.  
 An audis Iesum, qui primùm ex præsepio docet pau-  
 pertatem? An amas virtutem, quam tantùm amavit  
 Iesus; ut ejus causâ æternos Patris sui thesauros reli-  
 querit

querit? *Qua avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanetur?* Aug.

2. Mira est humilitas nascentis Christi, quippe, qui nascatur in stabulo, ex egena Matre, quæ fabro fuerat desponsata. Cùm nihil non sit humile hoc in mysterio, Christiane quomodo potes pasci fumo vanitatis, & honores ambire? Disce, quid amare, & æstimare debeas; ac persuasum sit, veram Christiani gloriam imitatione humilitatis Christi contineri.

3. Hominis causâ eò paupertatis, & humilitatis reductus est Iesus: periit humanum genus, cùm homo voluit fieri Deo similis; redemptum est, cùm Deus factus est homo. Iesus pro sua in nos pietate fit nobis similis, fiamus utique similes Iesu; pateat illi aditus cordis nostri; ubi gratiâ suâ nasci cupit: & cum in corde nostro natus erit, eum nutriamus piis operibus nostris. *Christus in nostris mentibus nascitur, crescit, roboratur.* Paulinus.

## S. STEPHANVS Martyr.

26. Decembr.

*Stephanus autem plenus gratiâ, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Act. cap. 6.*

Primus